

CANDIDO LECTORI,



ABES candidè lector Pappi Alexandrini mathematicas collectiones à Federico Commandino in latinam linguam translatas, & commentariis illustratas, iandiu tibi promissas, & sortasse a te desideratas. Quod nūc habeas, & diutius illas morari non coactus fueris, id totum Francisco Mariae Serenissimo Urbini Duci, acceptū referre debes: is enim tua, & Comādini causa, quia illius haeredes nunquam hucusque in harum impressione concordēs fuerunt, suis hortationibus, & impensis, ut ederentur, curavit. Quod huic operi primus, & secundus liber desunt, & daci rerum tempori non Commandini negligentia est ad scribendum: tantam enim diligentiam in illis perquirendis adhibuit, quā ta forsam in reperiendis tot aliis antiquorum mathematicorum libris illi opus fuit: non tamen propterea quod ita sit, timeas, te ex eo parū in Geometria profecturum, & operam in illius lectione ponendam perditurum: nam nisi ego decipior, & Commandinus ipse decipiebatur, contrarium experire. Si hoc opus non ita ut alia ab eodem auctore edita expolitum videbitur, mortem, quae illum nobis nimis prope subripuit, & ne summam illi imponeret manum, impediuit, accusas, non illum, nec eius haeredes: nam licet tu primo aspectu forsitan ab eis, ut nonnulli ante impressionem cupiebant, desideres, ut onus libri corrigendi, & polien di alicui mandauissent, & non tibi reseruassent: tamen re maturius perspecta, cognosces eos, quanuis id commode facere potuissent, quia non deerant viri Geometriae periti, qui hanc curam suscepissent. prudenter iudicasse cum consenserint magis tibi, & Commandino expedire, si, ut reperiuntur est liber, nulla re addita quidem, nec dempta syllaba, imprimeretur. Quod igitur ita factum fuit, Aequi bonique consule, & libenter librum lege, & cum tibi authoris labores profuisse perspicias, gratias, pro illo Diuinam Misericordiam implorando, referre non detrectabis. Vale.

